ſed pro ſingulari Dei favore, hæc omnia ſuſtinuit; & quando martyrium; dum ſterit juxta crucem cum ſacratiſſima Virgine Maria tunc illius martyrio ſocius factus eſt Ioannes: *Illic enim gladius idem, qui matris Mariæ animam pertranſivit, nunquid dilecti, ac diligentis diſcipuli animam non tetigit? tetigit plane.* De Virginis martyrio vide quæ dixi tom, 5. in Evangelia lib 8. cap. 22. quæſt. 23. & 4 Ac proinde altiſſimè martyrium ſuſtinuit unà cum B. Virgine Jeſu matre, & quæ ei data fuerit in matrem.

251. *Ex mutua ſocietate minuitur labor.* Tertiò. Scribens Ioannes ad Aſiæ Epiſcopos, ait de ſe, *Ioannes frater veſter particeps in tribulatione*; ut ipſi Epiſcopi videntes ſe in anguſtiis ac ærumnis poſitos, conſolarentur ſcientes anguſtias illas communes eſſe cum Ioanne, labores enim communicati leviores, ac mitiores fiunt: exemplo enim aliorum, quilibet maximè exhortantur, ut adverſa non timeat, ſed contemnat. Hinc Baruch noluit pugnare adverſus Chananæos, ſine Debora Prophetiſſa aſſociata Jud. 4. num. 8. *Sic* & Cis filio ſuo Saul dedit puerum in ſocium 1. Reg. cap. 6. num. 3.

Iud. 4.

1. Reg. 9.

252. Mandat Deus Moyſi, ut pergat ad Pharaonem, ad educendum Iſraël de Ægypto, multis ſe ille excuſat; & quamvis ad hoc negotium peragendum tria ſigna adhibeantur à Deo, adhuc ille non quieſcit; ſed ait: *Obſecro, Domine, non ſum eloquens ab heri, & nudius tertius.*

Exod. 4. Exod 4. num. 10. Tunc dixit illi Deus: *quis fecit os hominis? aut quis fabricatus eſt mutum & ſurdum, videntem & cæcum? Nonne ego? perge igitur, & ego ero in ore tuo, docebóque te, quid loquaris.* Adhuc ille reluctat, ut dicat: *Obſecro* inquit, *Domine, mitte, quem miſſurus es.* Tunc ait illi Deus: *Aaron frater tuus Levites, ſcio quòd eloquens ſit, ecce ipſe egredietur in occurſum tuum, loquere ad eum, & pone verba mea in ore ejus, & ego ero in ero tuo, & ore illius.* Ibid. n. 14,

Onus ponderis, aſſignato ſocio, levatur. & ſtatim ſubdit textus: *Abiit Moyſes.* Ad exequendum nempè Divinum mandatum Valè mirum, & maximè notatu dignum. Adeſt Dei mandatum, recuſat Moyſes, interponuntur tria ſigna, recuſat Meyſes, promittitur Dei aſſiſtentia, *Ego ero in ore tuo*, recuſat Moyſes; at verò fratre aſſignato in ſocium, nullo verbo prolato tendit ad obeundum munus impoſitum. Verum eſt, quòd illa ſuperna maximè ſufficiebant, ut animam Moyſis corroborarent, ac communirent, ad quamlibet difficultatem ſuperandam; neſcio tamen, quid habet una ſocietas, ut aſpera contemnantur, dura emolliantur, & quælibet ardua vincantur: ad quod nobis declarandum; ac manifeſtandum, voluit Deus, ut cum Aaron frater eſſet datus in ſocium, quieſceret Moyſes

Oleaſt. Oleaſter: *Non quievit vir ſanctus Deo, quouſque ei in ſocium in legatione daret fratrem. Conſidera, quod Moyſes Domino dicat: Non poſſum,* inquit *ſolus ferre populum hunc univerſum, quia ſuper meas vires eſt,* Num. 11. num. 14.

QUÆSTIO XXXIV.

Quare poſt tribulationem Ioannes poſuit Regnum?

AC ſi diceret Ioannes: Idem regnum cœlorum ſpero, quod vos Hinc maximè eos exhortatur ad omnem tribulationem ſuſtinendam; cum eos equidem regni participes eſſe dicat, quod ipſe ſperabat. Ait Chriſtus Dominus ſuis diſcipulis. *Nolite timere, puſillus grex: quia complacuit Patri veſtro, dare vobis regnum: vendite, quæ poſſidetis.* Luc. 12. num 32. Quid durius homini, quàm ipſa omnium bonorum abnegatio; & tamen tanta rerum difficultas puſillis, ac parvulis demandatur, proponitur cœleſte regnum ob oculos, quod ſufficit, ut appetantur duriſſima? & omnia ardua contemnantur. D. Chryſolog. ſer. 25. *Aufert ſpes anxias, omnem excludit timorem, quando in exordio ipſo regnum naſcentibus pollicetur.*

Luc. 12. *Spes regni minuit omnē laborem.*

D. Chryſ.

Secundò. Aretas. Regnum, *Afflictiones*, ait, *quæ hîc cauſâ Chriſti perferuntur, conciliant.* Cardinalis Hugo. *Tribulatio*, ait, *& negatio bonorum, unde & ſequitur, & regno; & hoc juſtum eſt, ut qui eſt particeps in negotiatione, particeps ſit & in lucro.* Unde non incongruè quidam doctus, tribulationum tempus, Chriſtianorum nundinas dixit; ex quo perbellè Tertull. lib. de corona militis, expendens illud, quod de Chriſto dicitur, poſt reſurrectionem, quod favum mellis comederit. Luc. 24. num 43. ait: *Chriſtus favos poſt fella guſtavit, nec antea Rex gloriæ à cœleſtibus ſalutatus, quàm Rex Judæorum præſcriptus in Cruce, muneratus primum à Patre modicum quid citra Angelos, & ita gloria, & honore coronatus.*

254. Aretas. Hugo. *Tribulatio, negotiatio regni cœleſtis.*

Luc. 24. Tertull.

255. Anſbert. Tertio. Anſbert. *Solicitè itaque conſiderandum eſt, quia tres hæreditatum uncias introducit Ioannes quibus ſe participem oſtendit, id eſt, tribulationem, regnum, & patientiam, ſed media harum: id eſt regnum, poſſideri non poteſt: niſi & hîc tribulatio exercuerit, & illic patientia defenderit.* Expende, quòd aſcenſus, ſeu ſcala ad regnum, & tribulatio: defenſio verò illius, ſeu ſuſtentaculum, patientia: inde qui clavem regiminis tenet, ita ſe debet gerere, ac qui martyrium ſubit. Quòd de Beato Eleuchadio dixit Petrus Damian. ſerm. 6. *Neque verò credendum eſt, Beatum Eleuchadium dum adhuc viveret, martyrii caruiſſe laboribus, etſi non fuerit martyrio conſummatus. Non contemnendum pertulit in ipſa Eccleſiæ pace martyrium: quandoquidem, & ſi non cum perfidè credentibus, ſed perversè viventibus infœderabilem probatur habuiſſe conflictum.* Ergo qui præfecturam ambit, candidatus martyrii eſt: & bonus Præfectus, benè martyr erit, tot patiens tortores, quot ſubditos.

Qui dominatur patientiâ veluti martyr indiget.

Imò tot feras ſuſtinet, ut ait Plutarchus in Politica ad Traianum: *Non enim cujuſvis eſt, neque tractatu, & fatu facile vulgus, & multitudinem ſalutaribus allici rationibus, in officio contineri. Sat erit, ſi velut fera natura ſuſpi- ... atque aſpectum Rectoris*

minimè reformidans, regium frenum admittit. Vides Rectorem ſubditum velut feram regere. Itaque tot feras regit Rector, quot ſubditos moderatur. Pulchra ergo Principum eruditio eſt, quod ſicut armis induitur ad debellandos hoſtes; ſic & clypeo patientiæ muniatur ad ſubditos ſufferendos.

Prælatus, quot habet ſubditos, tot feras ſuſtinet.

257. Librum multo miro modo clauſum vidit Ioannes, & multas lachrymas profundebat, quòd nemo eſſet inventus, qui librum poſſet reſerare, dictumque eſt ei ab uno ex Senioribus *Vicit Leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, & ſolvere ſeptem ſignacula ejus.*

Apoc. 5. *Qui gubernat, fortitudine ac patientia indiget.* Apoc. 5. n. 5. Et ſtatim cum expanderet Evangeliſta oculos, *Vidi*, ait, *& ecce in medio throni, & quatuor Animalium, in medio Seniorum, Agnum ſtantem, tanquam occiſum: & venit & accepit de dextera ſedentis in throno librum, & cum aperuiſſet librum, &c.* Mira res, Agnum vidit, & Leonem audivit: *Vicit Leo.* Si gloria decantatur Leoni pro aperto libro, cur dicitur, quòd Agnus illum reſeraverit? Si ad apicem dignitatis evectus Agnus emicat, cur Leo in libro aperiendo deſudat? Leo & Agnus Chriſtus? an animoſitate, ac fortitudine, ad ſuperandos hoſtes, Leo; in patientia, ac manſuetudine ad ſuos ſufferendos, Agnus.

Richard. Richardus Victorinus lib. 2. in Apocal. part. 2. cap. 3. *Si utrumque*, ait, *conſideramus, utrumque Redemptorem noſtrum comprobamus: ipſe eſt enim Leo per potentiam majeſtatis, Agnus per manſuetudinem.* Diſcant Reges à ſupremo Principe, ut ſint Leones fortitudine, Agni verò manſuetudine, ac patientia.

QUÆSTIO XXXV.

Quare poſt tribulationem & regnum, poſuit Ioannes patientiam?

258. Anſbert. REſpondet primò Anſbertus: *Sola principaliter patientia in præſenti, eſt neceſſaria, in qua & animæ poſſidentur, & tribulationes illatæ tolerantur, per quam & regnum ſempiternum conſequitur. Ecce tribulatio, & regnum præſto ſunt; ſed niſi quis hic poſitus patientiæ ſtuduerit, tribulationem pro Chriſto ſuſtinere non valet, ad gaudia regni non pertinget.* Paulus Rom. 8. num. 17 *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur*: Ante regnum poſuit Paulus patientiam. Ad quid ergo Ioannes ait, particeps in tribulatione, & regno? deinde ſubjungit in patientia, cum poſt regnum adeptum, jam non ſit patientia: Quandiu homo per tribulationem exercetur ad promerendum regnum, neceſſaria eſt patientia, & ideo Paulus ante regnum eam annumerat. At quandiu homo eſt in hoc ſæculo, & ipſum regnum Dei gratia jam eſt comparatum, de quo intelligi poteſt illud Chriſti: *Regnum Dei intra vos eſt.* Luc. 17. num. 21. tunc multa patientia eſt neceſſaria ad ſuſtinendas adverſitates, ac tribulationes, quæ contra juſtum commoventur, ac excitantur: patientia exigitur ad regnum promerendum, patientia etiam ad conſervationem meritorum ipſius regni, ut in eo ſtabiles permaneamus.

Secundò Rupertus: *Cum autem diviſſet* ait, *Ioannes in tribulatione, & regno, addidi, & patientia Ieſu: nam poſtquam particeps fuit in illa tribulatione morientis, & regno reſurgentis Ieſu, patientiam habuit imitando paſſim opprobria, irriſiones, colaphos, & verbera.* Prius Ioannes tribulationem, & regnum poſuit, deinde addidit patientiam? prius enim tribulationi Chriſti in Cruce morientis adſtitit Ioannes, & gloriam ac majeſtatem ipſius reſurgentis vidit? deinde Regium, ac magnificum animum ebibit, ex quo quicquid patientiæ in Ieſu agnovit, in ſe avidiſſimè optavit transferre? ſolus enim magnanimus, ac Regius animus poteſt concupiſcere, Chriſti patientiam imitari.

Solus magnanimus, ac Regius animus valet optare Chriſti patientiæ imitationem.

260. Rupert. Tertiò Item Rupertus, *Sicut Jeſus patienter ſuſtinuit, & orabat, dicens: Pater ignoſce illis; ita & iſte diligebat illos, qui mala inferebant, & pro eis orabat.* Poſt regnum poſuit Ioannes, *& patientia in Chriſto Ieſu.* Quæ patientia Ieſu in hoc mirificè eluxit, ut pro ſuis perſecutoribus exoraret: *Pater, dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt.* Luc. 23. n. 34. & adeo in ſublime mens Ioannis evecta eſt, ut hanc Chriſti patientiam æmulatus eſſet & nota quòd juxta veram ſeriem contextus Evangeliſtarum, prius Regius titulus, Rex Iudæorum, appoſitus Chriſto in Cruce, deinde ipſe pro inimicis rogavit ad Patrem, ut patet ex ipſa ſerie Evangelii, & nos diximus tom. 5 in Evang lib. 8. c. 14. & 15. Tam regalis, & perexcelſa virtus eſt, pro inimicis orare, ut ad hoc indicandum, alto Dei conſilio ordinatum ſit, quòd in Chriſto, ſummo omnium perfectionum apice, prius Regius titulus in Cruce declaratus eſt, antequam ipſe pro inimicis exoraſſet.

Ioannes pro inimicis oravit.

Luc. 23.

Pro inimicis orare, Regia virtus.

261. Albertus. Quartò. Albertus Magnus: *Nota, ait, quòd ponitur regnum inter tribulationem, & patientiam, ad denotandum, quod niſi tribulatio exercuerit, & patientia defenderit, non poterit regnum poſſideri.* Poſt virtutum exercitamenta regnum obtinetur, cur ergo poſt regnum Cœlorum patientia ſcribitur, non tanquam regni ſubſecutiva, ſed ut innuatur, quòd in regno Cœlorum componitur corona beatorum ex tribulationibus, ac patientia, ex his enim coaleſcit glorioſa, ac triumphalis illa corona, patientia, quandiu ſumus in hoc ſæculo, eam conſervet.

Corona regni ex tribulatione & patientia.

262. Richard. Quintò. Richard. Victorinus cap 4. *Patienter declaratur*, ait, *quæ tribulatio perducat ad conſenſum regni, cum adiungitur, & patientia in Ieſu Chriſto: tunc enim revera ad ſupernam coronam tendimus, ſi deforis in corpore tribulationem ſuſtinemus, & intrò in corde pro amore Ieſu, virtutem patienter inviolabilem conſervemus, nam qui foris tribulatione quatitur, & intus furore turbatur, iſte minimè viam ambulat per quam ad regnandum cum Chriſto pertingat: qui ergo deſiderat nempe regni coronam, habet in Ieſu patientiam,* Cur Ioannes poſt tribulationes, ac regnum, addidit patientiam in Chriſto Ieſu? Multi variis tribulationibus vexantur, & cum illas impatienter ſuſtineant, minime per illas regnum Cœlorum obtinent, valde congrue ergo Ioannes poſt tribulationem, ac regnum, appoſuit patientiam, non enim quælibet tribulatio, ſed illa, quæ patienter ſuſtinetur in Chriſto Ieſu, regnum Cœlorum obtinet. D. Dionyſius: *Patientia, ait, ſine qua tribulatio ad regnum non duceret, nec pertinget.*

Tribulatio patientiæ conſortio, regnum obtinet.

D. Dionyſ.

263. Rom. 5. Ait Apoſtolus Rom. 5. num. 3. *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem.* Tribulatio exercet patientiam, ac fructus ejus indicat dum rebus duris non cedit; ſed æquo animo ſuſtinet, inde ipſa patientia parit probationem, qua homo cognoſcitur juſtus, & perfectus. Beda: *Patientia*, ait, *probationem operatur, quia ille, cujus patientia non vincitur, perfectus eſt.* Et ille, qui ſic probatus eſt perpatientiam in tribulationibus, quid inde habet? coronam regni, ut ait Jacobus Apoſtolus 1. n. 12. *Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Patientia in tribulationibus generat probationem; probatio verò coronam gloriæ.

Beda.

Per patientiam probatur homo ad regnum.

264. Sap. 3. Interlinealis. De ſanctis Martyribus dicitur Sapientiæ 3. n. 6. *Tanquam aurum in fornace probavit illos.* Quod Interlinealis explicat: *Sicut aurum in fornace non uritur, ſed probatur, ita Martyres non deficiunt ſed ad gratiam præparantur.* Et quomodo Martyres non deficiunt, ſed ad gratiam præparantur? An ſolùm per calumnias, cataſtas, cruces, verbera, ac tot tormentorum genera, quæ dira tyrannis adinvenit: Per hæc ſolùm minimè quod explicatur ſuperiori verſ. 5. dum ait: *Tentavit eos, & invenit illos dignos ſe.* Tentavit eos ſanguine patienter effuſo, ut eſt communis Interpretum vox, & tunc adjungitur: *Invenit illos dignos ſe:* Explicat Interlinealis: *Participatione beatitudinis ſuæ.* Dum ergo patienter tantas tribulationes, ac adverſitates ſuſtinent, inveniuntur digni conſortio Dei, ac participatione ejus cœleſtis beatitudinis.

Sanguine fuſo patienter comparatur regnum

QUÆSTIO XXXVI.

Qualiſnam eſſet Inſula Pathmos; qualiſque ejus nominis interpretatio?

265. *Viri Juſti obliviſcuntur injuriarum.* INſulam nominat Joannes; non verò nomen illius, à quo in eam eſt relegatus. Tantus erat hujus Apoſtoli perfectio, ut injurias oblivioni traderet, & etiam nomen illius, à quo tantis injuriis eſt affectus. Vel quia ſic raptus erat in Deum, ut omnia Deo adſcriberet, ac de manu Dei acciperet; quod imperfecti minimè faciunt, cum omnia ſua in alios homines referant.

Inſula Pathmos.

266. *Deſcribitur inſula Pathmos.* Exprimit Joannes Inſulam, ad quam à Domitiano Imperatore relegatus eſt ad metalla effodienda, ut communiter tradunt Primaſius, Ansbertus, Bruno Aſtenſis, & Victorinus Pictavienſis in Commentariis in Apocalypſim. Eſt autem hæc inſula unà ex Sporadibus, ſita in mari Ægæo, quod tunc Archipelagus appellatur, diciturque vulgò, *Palmoſa*; & eſt Inſula vicina Rhodo; & in ea parte maris Ægæi conſtituta; quæ ab Icaro nomen accepit, ut teſtantur Plinius lib. 4. cap. 12. Strabo lib. 10. Quadrangulari figura ſita eſt; quadraginta millia, quæ decem leucas Hiſpanicas conficiunt, ſuo claudit circuitu; montoſa, metallorumque fœcunditate fertilis eſt; ut idem auctor eſt Plinius; ſed exilio, ac revelatione Apocalypſis noſtri Joannis illuſtrior, ac ſublimior facta eſt,

Plinius, Strabo.

Nobilitatur etiam, ut teſtatur in præſenti Viegas ſect. 21. magnifico Cœnobio ejuſdem Joannis nomine, quod in media ferè Inſula ad illius munimen, tanquam fortiſſima arx, conſtitutum eſt; & à Joannis diſcipulis, ut creditur, olim erectum eſt; modò à Monachis D. Baſilii habitari dicitur, & magno cum miraculo, interventu ſancti Joannis, ut creditur, nam illuſtre illud Cænobium Piratarum invaſione, ac incurſu, qui per totum illud mare frequenter graſſantur, ſemper ſalvum, & incolume perſiſtit, Hæc Inſula fuit olim ſubjecta Rhodis, nunc verò in Turcarum ditione eſt. Non ſtatim ut Joannis in eam relegatus eſt, Apocalypſim ſcripſit, ſed ad finem Domitiani imperii, ut dixi quæſt. 5. Prooemiali n. 5. Toto hoc tempore quod Joannes exul in hac inſula moratus eſt, omnes illius accolas ad fidem, ac pietatem inſtruxit, ut ex antiquis monumentis affirmat Metaphraſtes in Joannem. Viegas. Metaphr.

Interpretatio nominis Pathmos.

Pathmos interpretatur, *fretum*, ut Auctor eſt Ansbertus; juxta aliquos verò: *Separatio palpantium*; qui enim ſe tradit Deo, debet ſe ſeparare à conſortio malorum, ac ab omni re mundiali, tanquam veluti ille, qui navigat per fretum, ſeparatur à terra; juxta illud Job. 39. num 6. *Cui dedi in ſolitudine domum, contemnit multitudinem civitatis.* Juxta verò D. Remigium, Pathmos interpretatur, *ſeparatio hoſtium*; quia juſtus in tribulatione, ac conflictu, ita adverſariorum minas, ac furorem contemnit, tanquam ſi ab eis eſſet longiſſimè diviſus ac ſeparatus; tanquam ſi eorum rabies nulla eſſet. In hac ſententia eſt Cardinalis Hugo: *Juſtus*, ait, *debet eſſe ſeparatus a timore hoſtium; nec eos timeat, qui occidunt corpus; unde & Pathmos interpretatur ſeparatio hoſtium; & talis eſt juſtus.* Sic Job. 39. n. 22. contemnit pavorem, nec cedit gladio. *Qui ergo poſitus eſt in amaritudine, & conflictu tentationum interiorum, & in fervore, & fremitu perſecutionum exteriorum, & eſt ſeparatus à conſortio malorum; non timet minas, vel terrorem adverſantium, & hæc omnia propter Verbum Dei.*

267. *Quid ſignificet Pathmos.*

Job. 39.

D. Remig.

Juſtus in tribulatione non timet adverſariorum minas. Iob 39. Hugo.

QUÆSTIO XXXVII.

Quare Joannes in Inſulam Pathmos relegatur potius, quàm in aliam orbis partem?

POterat Imperator Domitianus noſtrum Evangeliſtam relegare in aliam orbis partem, ſcilicet, Europæ, Aſiæ, vel Africæ. Cur in Pathmos eum mandat abire? Certè aliqua ratio particularis in hoc militat. 268.

Ratio literalis eſt. Solebant Imperatores Romani, eos, qui facinora, ac turpia crimina perpetrabant, pro metallis eruendis in Pathmos damnare, facinoroſorum ergo locus erat hæc inſula; ecce cur exilio hoc ab impio Imperatore vir Innocentiſſimus ut ſicut alii impios, ac ſceleratus habetur, hujus exilii hanc rationem 269.

D. Thom. *Iniquorum conſiliis non deprimitur, ſed exaltatur juſtus.* tionem aſſignat D. Thomas: *Quoniam multi,* ait, *propter turpia ad illam relegabantur?* Sed Deus qui diſſipat inimicorum conſilia confregit impiam mentem ſacrilegi tyranni, ut Joannes ſui nominis fama, ac opinione nec eſſet depreſſus, nec maculatus, ſed illuſtrior ac excellentior habitus, dum factus eſt particeps tantarum rerum viſione, ac tantorum arcanorum cognitione. Cœl. Pannor. *In medio malorum*, ait, *nota faciet Deus ſuis arcana ſua; ut mala bonis bona ſint; & adverſis minimè adverſa.*

Cœl. Pan.

270. Liran. Secundò Lyranus ait: *Fuit Joannes in Inſula, quæ appellatur Pathmos; de ferventis enim olei dolio non adustus exiens; ſed ut fortis athleta perunctus, ad inſulam Pathmos fuit in exilium relegatus.* Joannes à ferventis olei dolio illæſus exiens in exilium mittitur, & tanquam verus Chriſti athleta, ferventi oleo inunctus, ad alia dura toleranda munitur. Quæ putantur juſtis vires adimere, vere ad alia ferenda adjiciunt, ac addunt.

Adverſa non minuunt, ſed adjiciunt vires juſto.

271. Rupert. Tertiò Rupertus: *Cui negabatur terra*, ait, *Cœlum apertum eſt. Exemplum ergo eſt omnibus Sanctis, quòd quantò magis in freto præſentis ſæculi affliguntur, tantò amplius illis ſecreta cœleſtia manifeſtantur.* Joannes in Pathmos ad metalla damnatur, ubi multa adverſa pro Chriſto ſuſtinuit; in hac ergo inſula magnarum cœleſtium revelationum fit particeps; qui enim multis tribulationibus pro Deo premitur; inde valde idoneus fit, ut cœleſtia intueatur, divinarumque rerum viſione muneretur; quod latè proſequitur Ansbertus, & confirmat exemplo Pauli, qui preſſuratum vinculis alligatus, dicebat: *Noſtra converſatio in cœlis eſt.* Ad Philipp. 3. n. 20.

Per labores diſponitur animus ad videnda cœleſtia.

Philipp. 3.

272. Ansbert. Quartò Ansbertus: *Ubi*, ait, *talia videre, ac tanta promeruit? Nunquid in urbibus? Nunquid in Regum ædibus? Nunquid in locis ſublimibus? Non, ſed in inſula Pathmos à Domitiano relegatus, metallo damnatus.* Antequam Joannes illuſtriſſimas viſiones ſibi in hoc libro factas referat, ait, quòd fuit in Inſula Pathmos, non in qualibet alia inſula, ſed in Pathmos, quæ valde remota, & ſolitaria eſt; quia tam alta, & ſublimia non ſunt manifeſtata Joanni in urbibus, in populi frequentia, in Regum aulis, ſed in exilio, ac in loco valdè ſolitario, & ab hominum frequentia ſeparato; quia tunc mens ad cœleſtia videnda aſcendit, quando animus degit in ſolitudine, ac tumultu populorum ſejunctus. Ait Deus per Oſeam 2. n. 14. *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus.* Cum Agar fugeret à facie Dominæ ſuæ, ac degeret in ſolitudine, apparuit ei Angelus, qui multa ei dixit de filio concipiendo. Statim ſubdit Agar: *Profectò hic vidi poſteriora videntis me.* Geneſ. 16. num. 3. Notanter ait: *hîc vidi.* Non in domo Abrahæ, non in palatio Regum Ægypti, ſed hîc, in hac nempe ſolitudine beneficium viſionis Dei accepi. Catena Græca: *Adjecit*, ait, *ſignificanter, hîc, quaſi dicat; non modò apud Abraham, ſed in tanta ſolitudine vidi.*

In ſolitudine, ac deſerto Deus videtur.

Quintò Idem Ansbertus citatus ſic pergit: *Joannes*, ait, *in magna celſitudine, in magna mentis conſtantia ſtetit; qui ubi putabatur, humana vinciri cuſtodia, ibi metas humanitatis tranſcendens, libero contuitu meruit videre divina. Et cui tunc certa terrarum ſpatia vetita ſunt adire, ſecreta conceſſa ſunt cœleſtia penetrare. Sic, ſic Chriſti fides; ſic ſibi etiam bene utens temporalibus malis, bonis perfruitur ſempiternis.* Vide quomodò Deus ſuis in exilio, ac tribulatione adſit, detque eis lucem, & levamen. Ecce Joannes exul factus in Pathmos, ſegregatus, ac deſtitutus omni humano commercio fruitur cœleſtibus; & ibi, & non alibi, accepit à Deo ſuam Apocalypſim. Sic Jacob, cum eum perſequeretur Eſaü, vidit Deum Bethel, Gen. 28 & 32. Moyſes fugiens Pharaonem, conſpexit Deum in ardenti rubo. Exod. 3. n. 2. Ezech. captus in Babylone vidit Deum in curru Cherubico cap. 1. n. 4. & Stephan. in ſua lapidatione vidit Cœlos apertos, & Jeſum ſtantem à dextris Dei Actor. 7. n. 55.

In laboribus Deus ſuis manifeſtatur.

Gen. 28.

Exod. 3. Ezech. 1.

274. Ansbert. Sextò. Citatus Ansbertus ad ultima verba: *Sic, ſic Chriſti fides, ſic ſibi etiam bene utens temporalibus malis, bonis perfruitur ſempiternis.* Conſidera providentiam, & conſilium Dei, qui mirificè cuncta diſponit? Joannes ab urbe Roma) in qua longè aberat à ſuis Eccleſiis Aſiæ) in Pathmos relegatur, quæ Aſiæ contermina, atque ſeptem urbibus, ad quas ſcribebat, vicina erat, ut indè faciliùs cum ſuis Eccleſiis ageret, eaſque faciliùs inſtruere, ac dirigere valeret. Sic diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Rom 8. n. 28.

Juſtis omnia cooperantur in bonum.

275. Job. 30. Ait Job. 30. num. 12. *Ad dexteram orientis calamitates meæ illico ſurrexerunt: pedes meos ſubverterunt, & oppreſſerunt, quaſi fluctibus ſemitis ſuis.* Nulla calamitas, cuique acerbior accidit, quam Jobo acciderunt calamitates ſuæ, illum enim dolor, & intolerabilis fœtor, & hoſtium rapinæ, filiorum orbitas, & amicorum mordacitas vehementer affligebant, & tamen de his loquens ait: *Ad dexteram orientis calamitates meæ ſurrexerunt.* Ad dexteram dicis? dextrane fuit illa dolorum congeries? dexternè fuit ille impetus Chaldæorum adverſus greges tuos? dexternè fuit ille ventus, qui concuſſit quatuor angulos Domus, & oppreſſit filios? Dextera illi fuerunt univerſa hæc, nam hæc omnia illi acciderunt in decorem, inque bonorum duplicationem atque in magnam gloriæ coronam, quidquid enim adverſi in juſtum excitatur, illi dextrum eſt, eumque ad dexteram Chriſti impellit. Eleganter Gibertus Abbas ſerm. 38. in Cantic. *Jure*, ait, *ventum illum dextrum vocavit, qui nihil ei quæſivit ſiniſtrum inferre, quin etiam coronæ gloria viro juſto comportavit augmentum, quando virtus probata enituit & quando provocata excrevit.*

Iuſto omnia ſunt in dextrum, & in bonum.

Gilbertus.

276. Can 2. Ait Sponſa: *Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Cantic. 2. n. 6. Id, quod prius æſtimat, & de ſe lætabunda jacta, læva eſt ſponſi. A læva omne metuendum procedit? Illinc rigor, & verbum aſperum tonabit? Illinc maledicti conſtituentur. Cur ergo de læva ſic gloriatur? Et ſi à læva tot mala ſint iniquis, juſto tantum abeſt, quòd malum inferat, quin potius læva erga eum porrigit ſcutum, quo protegatur, & omnia mala ab eo depellantur: ac proinde ſervo Dei quidquid ſervit in ſcutum, quo munitur, ac defenditur. Aponius lib. 3. in Cantic. *Læva*, ait, *ſub capite fidei eſt ſcutum, quod pugnantis ſiniſtra continetur manu, quo adverſarius repellitur.*

Iuſto etiam lævum fit dextrum ad defenſionem.

Aponius.

Apocal. 1.